

lutaribus doctrinis adimpleri. Ipsi congerant & coaceruent ea omnia, quibus adimplendus est animus, in quo via Messiae praeparanda est. Pharisei autem, & omnes elati homines superbiam & fastum deponant, ut deprimenda montium & collium cacumina. Deiciatur animi sibi nimium confidentis elatio, nec quis propria superbiat iustitia. *Obliquum fiat in rectum*, homines iniqui atque fraudulentis sese ad studium aequitatis applicent, & sic viam ad Dei filium vera fide excipiendum praeclare muniant. *Loca aspera ac praerupta in planam reddantur viam*, ita ut peruersi, acerbi ac difficiles animi reddantur emendati, mites ac mansueti. Si in animis vestris nulla iniquitatis peruersitas, nulla odii duritas, nulla iniustitiae ac impenitentiae pertinacia, viam Domini praecludet, sed ad hunc immutatae mentis modum via Domini curabitur; vobis etiam reuelari poterit Messias, qui est Dei filius, splendor & gloria patris sui, qui in humana natura apparebit, & diuinam gloriam admirandis dictis & factis illustrabit. Praeuiam debitam praeparationem, & ad Deum per poenitentiam conuersionem, non solum Iudaei, sed omnes mortales, etiam ethnici, *omnes, qui sunt caro, cognoscere poterunt*, quod Messias sit *os Domini*, quod Deus per Messiam *oret* cum hominibus *colloquatur*.

Sic Esaias non solum ministerium Iohannis v. 3. sed etiam officia Iudaeorum v. 4. & commoda explanationis viae Domini v. 5. exposuit. Iohannes etiam prudentissime hunc locum citauit, qui omnes monebat, ne negligent ea peragere officia, quae ad sternendam Messiae viam erant necessaria. Nihilominus nullum diligens Prophetarum scrutinium, nulla debita ad signa temporum & ad conciones Iohannis & Messiae adhibebatur attentio, sed hoc tam admirandum, tam clarum, tam illustre vaticinium de ministerio Iohannis susque deque habebatur. Quod si omnibus Iudaeis deuota erga Prophetas reuerentia infudisset; in responsione Iohannis acquieuisent, eiusque testimonio credidissent. Sed sic euenerunt ea, quae historia sacra prolixè refert, & in altera disputatione, etiam a Iesaja iam praedicta inueniemus.

Ad hunc locum prouocant omnes Euangelistae, asseuerantes, Iohannem Baptistam esse illum, de quo Iesaja haec dixit.

Matth.